Ultima ac filialis Pietas

POLITICO CONSUMATISSIMO

ut &

AVO DESIDERATISSIMO

Viro

Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo *DOMINO,*

DOMINO

NICOLAO,

S. R. Imperii Pannero,

&

LIBERO BARONI

a

GERSDORFF,

Dynaſtæ in Hennersdorff, Baruth, Bretnigk, Rackel, Haus- & Buchwalda, Krackwitz, Berthelsdorff, Kemniz &c. &c.

Potentiſſimi Poloniarum Regis,

&

Sereniſſimi Electoris Saxoniæ

Conſiliorum Intimorum

DIRECTORI

graviſſimo,

ut &

PRO MARCHIONI Luſatiæ ſpectatiſſimo,

Die VI. Septembr. A. O. C. M DCC II.

Tumulo ſuo ad D. Sophiæ Templum

illato,

Sympathias & conſolationis cauſa

decenter obſervata

a

MOETISSIMO EJUS NEPOTE,

Gottlobio Innocentio de *Einſiedel.*

Eqv. Miſn.

DRESDÆ, literis SCHROETELIANIS, 1703.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

† † †

QVid acerbius morte præmatura
eorum,
Qvi aliqvid immortale pararunt,
Qvi poſteros cogitarunt,
&
memoriam operibus extenderunt?
Nonne repentinam
hanc mortem
nonne lugendam
appellemus?
Diem enim obiit ſupremum
NICOLAUS Liber BARO de GERSDORFF.
Cujus idem ex hac Vita
fuit exitus.
O carum, amiſſum, deſiderabile bonum!
Fuit juſtus non ſine Pietate,
Pius absqve Simulatione?
Eruditus ſine Superbia.
In conſiliis cautus absqve tarditate,
In omni eventu Conſtans ac Immobilis.
Non hic mea ſatis mihi ſufficiunt Verba,
ſed
DEO fidelis
Principi Utilis
Patriæ carus
vixit;
concatenatis laboribus
preſſus imo defatigatus
tandem oppreſſus,
aliis inſerviendo
Se Ipſum conſumſit;
Hæc eſt conſtantia.
Debilitatus ſuis præeſſe laboribus.

Hæc

Hæc eſt fidelitas!
Ad mortem usqve Reipublicæ prodeſſe,
Poſt mortem
laudari
deſiderari
plangi,
Hæc eſt charitas!
O doctus ſumma diligentia,
edoctus experientia,
Venerabilis poſt ſuprema qvoqve fata
Senex!
Non niſi fortiter pugnantibus
corona datur,
feliciter triumphantibus
præmium.
Utrumqve nuc poſſides
BEATISSIME.
DEUS, TE
In portum ſalutis a mundi calamitate,
in ſecurum a periculo
in voluptatem ab angore
in lætitiam a triſtitia
traxit.
Qvid mirum?
ſi
qvam utilis Reipublicæ fueris
tam fruendo vidimus, qvam carendo videmus,
Qvid mirum?
ſi
in ſepulchri tenebris
Clarus
Clarior dicam qvam antehac,
imo
longe nunc factus ſis clariſſimus?
Amaſti ſemper Iuſtitiam
& exercuiſti;
nunc DEUS
Iuſtum ſe tibi exhibet pariter ac Clementem,
Iuſtitiam remunerando,
cum jam magis gaudeas
qvam
gaviſus vel paſſus ſis unqvam;
Licet alias
Senectus laudabilis

innume-

innumerabilibus gaudeat
bonis
&
duobus qvaſi Scipionibus
nitatur,
recordatione
Vitæ *honeſtè anteactæ*
&
Spe ac poſſeſſione
Vitæ melioris.
Qvamqvam autem
nihil in hoc mundo ſit
diu nec undiqvaqve felix;
&
Ipſe homo variis calamitatibus
mortiqve
ſit
obnoxius,
qvæ alias
PRO OPTIMO VITÆ BONO HABETUR;
Tua tamen mors
Patriæ
Amicis
&
Familiæ
etiamſi deceſſeris ſenex
multorum annorum
intempeſtiva
[ut ita loqvar]
videri vult.
Verum
Qvid lugentibus,
Qvid diſceſſum tuum qverentibus
dicam?
Qvid obſecro lacrymantibus
objiciam?
Qvid ſolatii proferam?
ut tanta
leniatur
evellatur
&
ſopiatur
triſtitia animiqve angor:
Qvid ſcribam qvi ipſe indigeo
Solatii?

DEum

DEum afflictorum ſolamen & conſolationem
unicam
optimam
certiſſimam
in medium adduco:
Idem hic
Pater eſt benignus
qvando ferit,
ac
qvando bona concedit.
Hic
vulnera lugentium & dolores
curabit,
damnum reſarciet,
variisqve illos cumulabit felicitatibus,
qvo fere ſentiant,
ſemper
ejus incognita qvidem, ſanctiſſima tamen eſſe
conſilia.
Conſolatio ejus eſſe videtur:
non abripui
Vobis
veſtrum cariſſimum,
ſed
feliciciorem tantum
reddidi.
Qvid lugetis?
Cur felicitatem illi feliciſſimam
invidetis?
Defunctus ipſe
contriſtatis
acclamat:
deſinite,
amici mei omnes
luctu
qvietem meam rumpere,
Vixi namqve ut morerer,
mortuus ſum ut viverem,
Vobiscum victurus demum
cum mortua mors fuerit.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

Illuſtriſſimus DOMINUS,

DOMINUS NICOLAUS,

Sacri Romani Imperii Nobilis

BANDERESIUS & LIBER BARO

a GERSDORFF,

Potentiſſimi Regis Poloniarum
Et Electoris Saxonici,
In Conſilio Sanctiori Director,
Et Luſatiæ Superioris Pro Marchio.

Per purum Anagramma.

En!

Dilectiſſimus. DEI. Glorioſiſſimi. Filius.
Amicus. Chriſti. Perennis.
Principis. Cor.
Perrara. Orbis. Gloria.
Sol. Patriæ.
Lex. Viva. Tonantis.
Miſerorum. Solamen.
Fortis. Victor. Mortis.
Ornatus. In. Cœlo. Coronâ. DEI.
Et
Omnibus. Bonis. Deſiderabilis.

Brevem hunc ſed æternæ veritatis
Panegyricum
cum NOMINE ſacratiſſimo, in cœlis,
ad ſcriptum,
immortali memoriæ,
BEATISSIMI DOMINI,
DOMINI SUI, ah! qvondam GRATI-
OSISSIMI,
humilimè conſecrat,
Ejus
poſt fata qvoqve
devotiſſimus,
Iohannes Mentzerus P. Kemnic.